CAPUT VIII.

De ALPHONSO DE S. MARIA, *sive* DE CARTAGENA, *Burgensi Episcopo, Pauli Episcopi etiam Burgensis filio. Eius magnæ virtutes atque dignitas in Concilio Basileensi satis perspectæ, mireque laudatæ. Eiusdem legationes & scripta*, (super) *controversia præcedentiæ inter Angliæ & Castellæ Regum Oratores; & super insularum Fortunatarum dominio inter Castellæ & Portugalliæ. Diversa olim opinio de non repellendis ab honore & dignitate ulla è Iudaismo conversis. De* IOANNE DE MENA *Cordubensi, poeta & regio Ioannis II. Castellæ Regis historico, & eius carminibus. De* IACOBO DE S. IOANNE, FERDINANDO PETRI DE GUZMAN *Ioannis eiusdem Regis II. chronographo, &* ALPHONSO (imo *Petro*) CARRILLO DE ALBORNOZ. *De* ALPHONSO *item Aragoniæ & utriusque Siciliæ magno Rege, eiusque in literas & literatos amore. De* BERNARDO DE MONTESA *Carmelitarum sodali, ac* BERNARDO *altero Cisterciensi monacho* : CALLISTO *Papa III. &* DIDACO DE COMONTES.

389. ALTER, post nunquam satis laudatum Abulensem Episcopum, ALPHONSUS huic loco sistendum se offert, utpote decem tantùm ab obitu Tostati mensibus fato functus. Pauli Burgensis Episcopi ex legitima coniuge filius, DE SANCTA MARIA, atque etiam GARSIAS DE S. MARIA, ac DE CARTAGENA, cognominatus, Burgensis & idem quoque præsul; nec ipse minor existimatione huius sæculi Alphonso Abulensi, si virtus & animi robur, necnon insignis Ecclesiasticæ & publicæ rei utilis doctrinæ, simulque prudentiæ atque facundiæ dotes considerentur. Quibus, dum viveret, Hispaniarum omnia regna, Germaniæ nationes, atque ipsam summi Ecclesiæ Sacerdotis aulam, sive fama, sive coràm præceptis, cum singulari quadam nec facilè aliis communi famæ celebritate complevit.

390. Natus hic, uti creditur, anno superioris sæculi sexto supra nonagesimum, & sub disciplina magni parentis ad sacram tempore suo ineundam vitæ rationem educatus, integerrimis & gravissimis moribus, quos vultus ipse ac status decore & honestate pleni commendabant, eximiam iuris utriusque prudentiam, naturalisque totius philosophiæ cognitionem, veluti monogrammæ ac lineari picturæ colores, adiunxit. Decanum ille tunc gerebat Compostellanæ Ecclesiæ (addunt & Segoviensis), cumque Portugalliæ Rege Ioanne, anno scilicet XXIII. Ioannis Castellæ Regis sui nomine pacem pepigerat: cùm idem Ioannes Castellæ Rex secundus Hispanam pro dignitate rei ad Basileensem Œcumenicam Synodum legationem adornaturus (quæ Synodus anno MCDXXXI. & aliquot sequentibus, favente olim Eugenio Papa, mox ab eo diris devota, perduravit): Alphonsum eò nostrum [f], unà cum Alvaro de Osorna Conchensi antistite, & Ioanne de Sylva Cifontano Comite, destinavit. Quo in loco & munere nactus is idoneum & apertum explicandæ suæ virtutis campum, mira res quantum honoris & plausus ab omnibus eiusdem Concilii patribus & consessu integro reportaverit.

[f] Garibay lib. 56. cap. 23.

391. Cuius rei quia egregium satis præsentemque gestis omnibus habemus testem, Æneam nempe Sylvium, qui Pius aliquando II. Papa fuit creatus: ex eius *Commentariis* de hoc Concilio ea quæ ad propositum spectant, quòd liber ille non adeò vulgaris est, sive quia præstat omnia simul haberi quæ vir laudatissimus de viro laudari dignissimo consignavit scriptis suis, desumemus. Libro I. ait ex Hispanis unum Episcopum Conchensem, cùm inchoaretur Concilium, præsentem adfuisse; *nondum enim deliciæ Hispaniarum* (inquit) *Burgensis ex legatione ad Cæsarem erat reversus*. Unde liquet medio isto tempore postquam ex Hispaniis fuerat profectus, Burgensis eum Ecclesiæ insulis per renuntiationem (quod suo loco diximus) Pauli patris ornatum fuisse. Nam paulò post Æneas de congressu quodam inter patres habito, *plurima etiam* (ait) *prælatorum decus Burgensis Episcopus, atque Eleemosynarius Regis Aragonum* (alius à nostro hic est) *non minùs eloquentiâ quàm doctrinâ præclarus, disputavere*. Deinde ad quæstionem de superioritate Papæ aut Concilii multa illum respondisse *sic doctè atque verificè: ut omnes ab eius ore avidè dependerent, iam non* (*ut in aliis fit*) *orationis finem, sed longam continuationem desiderantes, ipsumque unicum esse scientiæ speculum prædicadeque accipitrum morbis eorumque remediis*, causam dedisse potuit aculeatum Alvari de Luna Magistri Sancti Iacobi & Castellæ Comestabilis, apud Ioannem Castellæ Regem in Alfonsum Madrigalium dictum: quod légesis apud eumdem D. Roxas & Contreras *Part. I. p.* 119.

Suma de casos de conciencia.. XXIII. *De amor y amistad*.. XXIV. *Carta á un Señor de la Casa de Alva, consolatoria é instructiva*.. XXV. *Brevis formula confessionum* (*seu* Confessionale).. XXVI. *De æternitate*. Ei autem quod num. XXI. inscribitur: *Sobre caza*, id est *De venatione*, sive ut ego interpretor: *De re accipitraria*;

carent. Sequuntur alia minus ad rem pertinentia. Loco autem alio : *Primus igitur Burgensis Episcopus inter omnes consilio & facundiâ præstans , differri conclusionem* &c. suadebat. Et mox: *Instabat magnopere Burgensis Episcopus, ut si posset, inter discordes patres concordiam sereret , & qua ipse sibi perpetuò fruitur, elargiri pacem aliis satagebat*. Constat autem ex primo isto , quem laudamus *Commentariorum* libro , Hispaniæ omnes præsules , quum de exauctorando Eugenio actum fuit, à sessione abfuisse. Nec ulla ulterior in Concilii gestis apud Æneam Alphonsi mentio.

392. Carthaginensem quoque fuisse eum Episcopum , nescio unde eliciunt qui hunc fuisse prætermissum in huius Ecclesiæ præsulum albo, Ægidio Gundisalvi Davilæ, & Francisco Cascalio *Murcianarum rerum* historico, confundentes hunc cum Paulo genitore, culpæ vertunt. Ferdinandus enim Pulgarius in elogio altùm tacet de hoc munere.

393. Oportet autem , uti diximus , si Compostellanus erat decanus cùm Basileam fuit destinatus, & ab Eugenio IV. Papa creatus fuit Romæ Burgensis Episcopus (quæ duo Pulgarius disertè docet) , in eius transitu per Romanam curiam Basileam aut Germaniam versus id contigisse; cùm intra breve tempus cùm in Concilium venisset, *Burgensis iam ab Ænea Sylvio appelletur* Episcopus. Porrò eam vel adhuc absentis opinionem Eugenium concepisse nostri auctores referunt [8]: ut cùm certior factus fuisset brevi eum in curiam venturum , coram sacro Cardinalium senatu , se præsente Alphonso, in Petri cathedra non sine verecundia sessurum ingenuè ac modestè pronuntiaverit.

[8] Garibay lib. 17. c. 4. Ægidius Gonzalez in *Theatro Eccles. Burgensis*. Ioannes Mariana lib. 21. c. 6.

394. Dicitur quoque Alphonsus noster publico nomine , sive Ioannis Regis , sive Concilii ipsius Basileensis , Albertum II, Austriacum Imperatorem & Ladislaum Poloniæ Regem super Bohemiæ regno dissidentes conciliâsse : quod quidem post è Basilea discessum circa annum MCDXXXVIII. sequentemve , quo tempore Albertus imperavit , oportet factum.

395. Multis Pulgarius celebrat Alphonsi virtutes , mentis atque corporis æqualem munditiam , animi demissionem , temporalium abstinentiam , muneris sui gestionem ad unguem exacti , & insignem piarum erogationum munificentiam. Alphonsus item Palentinus in gestis Hispaniensibus suorum dierum , sive *Annalibus* adhuc MSS. gravitate honestateque insignem virum ac doctrinâ singularem prædicat. Opera autem nobis hæc reliquit , quorum non minùs quàm rectè & laudabiliter gestorum auctoramento , posteritati se commendavit. Aliquot autem eorum lucem viderunt ; cetera remansisse Burgis in capella , in qua tumulatus fuit , Pulgarius refert.

396. *Anacephalæôsis nempe Regum Hispanorum , Romanorum Imperatorum , Summorum Pontificum ; necnon Regum Francorum* (ad Burgense capitulum , ut ex præfatione colligitur , quâ innuitur etiam , quâ formâ voluerit auctor hanc recapitulationem seu arborem historiâ expositum chartis consignari) ex illa nempe maioris operæ, quam Ioanni nuper defuncto Regi nuncupatam olim obtulerat, ad maiorem brevitatem redacta ; & ab Athanarico Gothorum Rege usque ad Henrici Castellæ Regis IV. initium , sive ad ultimum usque Februarii diem anni MCDLVI. quod in fine ait continuata. Hanc primùm in lucem emisit Xantus, seu Sancius Nebrissensis Antonii filius, unà cum Roderici Ximenii Toletani (&) Ioannis Gerundensis antistitum , eiusdemque *Antonii Nebrissensis Catholicorum Regum* historiis , Granatæ anno MDXLV. in folio. Unde iterum commissa fuit *Hispaniæ illustratæ* corpori ab Andrea Schoto. Sub *Genealogiæ Regum Hispanorum* titulo laudat hunc commentarium Didacus Roderici de Almela in *Valerio suo historiarum* lib. 8. tit. 6. cap. 9. Attamen *Anacephalæôsis* titulum præsefert codex antiquus , qui apud Olivarensem comitem fuit manu scriptus (1). Vulgari autem lingua

397. *Doctrinal de cavalleros :* quem rogatu Didaci Gomezii Sandovalis Comitis de Castro ac de Denia scripsit librum, Burgis editum anno MCDLXXXVII. atque iterum MCDXCII, in folio : quæ duæ editiones in eximii viri D. Laurentii Ramirezii à Prato bibliotheca fuere. Continet hic liber nobilium virorum ad ea quæ noscere ac facere tenentur , ex legibus olim à Regibus Hispaniarum promulgatis , instructionem (2).

Ora-

(1) Habetur in Eiusdem librorum Catalogo *T.I. pag.* 159. *inter codd. MSS.* hoc titulo : *Alfonsi de Carthagena Episcopi Burgensis Anacephalæosis , Historia Regum Hispaniæ ; et ea quæ de Arabico transtulit in Hispanum sermonem , aliaque Eiusdem opuscula. Fol. antiquâ nota C.* 11. Quæ indicant eum & Arabicè doctum , nonnullaque Bibliographis atque historicis nostris indicta , ex Arabicis in vernaculam linguam transtulisse.

(2) Exstat eodem titulo in Escurialensi , XV. ut videtur sæculi inclinantis optimæ notæ codice. *Lit. h. Plut. III. n.* 4. (T. II. p. 112.) Ad Didacum Gomezium Sandovalium Comitem de Castro ac de Denia ; codex autem Anonymo Regii stabuli Comiti nuncupatur : *Los famosos Cavalleros* (inquit) *mui noble Señor Condestable &c.*

398. *Oracional ò tratado que contiene* (apponimus inscriptionem integram editionis postumæ) *respuesta à algunas questiones que hizo el noble cavallero Fernan Perez de Guzman al reverendo P. virtuoso Prelado D. Alonso de Carthagena de buena memoria, Obispo de Burgos, tocante à la fiel y devota oracion* (1). Sequitur : *Contemplacion mezclada con oracion, compuesta en Latin, y tornada en lenguage Castellano, sobre el Psalmo de David* : Iudica me Deus (2). Item: *Declaracion de un tratado que hizo S. Juan Chrysostomo, el qual demuestra y concluye, que ninguna persona es dañada sino por si misma* (3) ; *que le mandò el Rey D. Juan el II. hazer.* Adiungitur carmen seu epicedion Ferdinandi eiusdem Perezii in Alphonsi obitu. Quæ omnia Didaci Roderici de Almela, qui familiaris fuit Alphonso, ut credimus, operâ Murciæ ex typographia Gabrielis Loisii Arimo, & Lupi de la Roca MCDLXXXVII. in folio prodierunt. Hoc *Orationale* opus, aliàs *Duodenario*, quòd quæstionibus constaret duodecim, nuncupatum, idem Didacus Roderici in epistola quadam ad Ioannem Cordubensem scripta, quæ unà it cum eius opere *De las batallas campales* sub hac laudat epigraphe (4).

399. *Conflatorium* (nescio cuius argumenti) laudat idem Almela in *Valerii historiarum* sæpiùs dicto loco.

400. *Defensorium Fidei.* Hunc librum disertis verbis laudant idem Almela in *Valerio historiarum* lib. 8. tit. 6. cap. 9. Alphonsus Venerus in *Enchiridio temporum*, & alii. Atque hunc editum typis fuisse alicubi legimus.

401. *Super altercatione præeminentiæ sedium inter oratores Regum Aragoniæ & Angliæ in Concilio Basileensi.* Ita inscribitur in codice Vaticanæ bibliothecæ manuscriptæ num. 4150. nostris auctoribus non cum Aragoniæ, sed cum Castellæ, controversiam Anglis legatis fuisse affirmantibus. Planè Castellæ dignitatem ab eo contra oratores Anglos, qui priora sibi vendicabant, scripto defensam & patribus oblatam, Stephanus Garibaius lib. 16. cap. 23. & Ioannes Mariana lib. 21. cap. 6. docent, quo quidem scripto Anglorum audaciam fregit. Ac verè res inter Anglos & Castellanos gesta argumentum est libelli, quem plures viderunt. Quare mendum irrepsisse in Vaticani codicis inscriptionem consonum vero est. Nam codici eiusdem bibliothecæ 4151. *Propositio* inscribitur *facta per Rev. P. Alphonsum, Ep. Burgensem, super altercatione* &c. *inter Ambasciatores serenissimi & potentiss. principis dom. nostri Regis, & Ambasciatores illustriss. principis dom. Regis Angliæ* &c. Incipit : *Memor sum, reverendiss. reverendique PP. eius sententiæ, quam dixisse fertur Demosthenes* (5) &c. Hoc autem fortasse opus est, *De las sesiones*, hoc est, Sessionum : quod nostro tributum à Didaco Valera in *Cæremoniali Principum*, quod manuscriptum exstat, observavimus.

402. Item. *Super Canariæ insulis pro Rege Castellæ allegationes*, quæ sunt in Vaticano codice 4151. MSS. Lis nimirum erat super dominio Fortunatarum sive Canariarum insularum, inter Henricum Portugalliæ Infantem Ioannis I. Regis filium cui Betancurtius Gallus nullo iure eas vendiderat, & Ioannem II. Castellæ Regem; reque ad Eugenium Papam delata, Ludovico Al-

(1) In Escurialensi *Lit. y. Plut. III. n.* 8. ad Ferdinandum Petri Guzmanum. (T. II. p. 378.)

(2) In Escurialensi, *Lit. h. Plut. II. sub n.* 22. *sub tit. Miscellanea Historica.* (II. 92.) atque item *Lit. a. Plut. IV. n.* 7. (I. 131.)

(3) In Escurialensi *Lit. a. Plut. IV. n.* 7. (II. 92.) Latine atque idem ab Auctore Hispanice versus *Lit. h. Plut. II. sub n.* 22. (T. II. p. 93.)

(4) Habetur in Bibliotheca Escurialensi *Lit. f. Plut. III. sub n.* 17. (T. I. p. 501.) *Anonymi Hispani Episcopi* (certè *Burgensis*) : *Binarium secundum ad Ferdinandum Petri de Guzman* ; seu binæ è duodecim quæstionibus ipsi propositis : quasi sexies ad eum scripserit, aut sena epistolarum binaria miserit.

(5) In Escurialensi *Lit Z. Plut. III. sub n.* 2. (T. II p 329.) hoc titulo : *Allegatio pro præcedentia Regum Castellæ præ Regibus Angliæ &c*, Latine ; atque eadem ab Auctore Hispanicè versa, *Lit. h. Plut. II. sub n.* 22. (T. II. 92.) inscriptaque : *Proposicion que hizo contra los Ingleses seyendo Embajador en el Concilio de Basilea sobre la preeminencia del Rey de Castilla sobre el Rey de Inglaterra.* In Regia Matritensi bina itidem habentur huius Allegationis exempla, quorum antiquiori circa Auctoris tempora exarato subditur : *Definitio facta per Sacrosanctam generalem Synodum* (Basileensem) *super altercationibus sedium Illustrissimorum Regum Yspaniarum & Anglorum, pro Hispaniarum Rege. Nos autem* (inquiunt Concilii Patres) *post longas & maturas in sacris vestris deputationibus deliberationes desuper habitas : hodie in Congregatione nostra generali conclusimus, Ambassiatoribus præfati Ioannis Regis, necnon Regum Castellæ & Legionis pro tempore existentium, primum locum immediatum post Ambassiatores Karissimi in Christo Filii Regis Franciæ pro tempore existentis in honore & voce assignari debere : quem sic ipsis, ut præmittitur, tenore præsentium assignamus : decernentes Ambassiatores Regis Castellæ & Legionis pro tempore existentis prædictos in Congregationibus & aliis locis generalis Concilii pro tempore celebrandi dictum locum futuris temporibus tenere & habere posse & debere : Contradictores obstaculo quovis semoto &c.* Exstitit in Bibliotheca Comitis Ducis Olivariensis inter MS. Codd. Hispanicè. Pag. 162.

Alvari de Pace Ioannis procuratore, dicta pro eo sententia fuit: quod anno huius sæculi tricesimo primo contigisse, Franciscus Lupi à Gomara in *Historia generali Indiarum* docet; atque eo adhuc distinctiùs Ioannes Nonnius Peña in nova istarum insularum descriptione & historia cap. 7. Aderat fortè Alphonsus sub idem tempus Romæ Basileam venturus, cui commendatæ simul cum Ludovico causam instruendi partes fuere (1). Adiungit Almela simul agitatum fuisse de iure ad expeditiones in proximis Hispaniæ oræ regnis Africæ Fessano & Marochitano faciendis. Meminit etiam huius operis Alphonsus Madridius Alcoritanus archidiaconus in *historia* MS. *Palentinæ urbis*.

403. *Orationem* quoque habuit in *Concilio Basileensi*, quæ in Vaticano 232. MS. codice exstat.

404. *Defensorium unitatis Christianæ, ad serenissimum principem dom. Ioannem Castellæ & Legionis* &c. *Regem potentissimum*. Conversorum ex Hebraismo agit causam, ut scilicet benevolè & ex Christianæ charitatis legibus, non verò cum honorum indignis & expertibus ad Ecclesiæ gremium reciperentur. Liber est doctissimus suoque artifice dignus, sacrarum Scripturarum, Ecclesiæ universalis, atque Hispanæ Conciliorum, nec minùs Sanctorum Patrum & iuris utriusque testimoniis doctè atque nervosè explanatis, constans. Cuius tres partes sunt. *Prima* (ipsius auctoris verbis) *aliquantò generaliter: Secunda particulari distinctione specialiter hanc sanctam* (ait) *unitatem defendere tentat: Tertia quantum errorem incurrant qui contra eam aliquid dogmatizare præsumunt; ac quid ad eorum reductionem seu punitionem superioribus suis incumbat agendum, ostendit.*

405. Prima quidem pars continet capita 10. secunda in quatuor theoremata subdividitur. I. Demonstrat per Redemtorem mundi Christum Iesum dominum nostrum populum Israeliticum fuisse quoad sufficientiam salvatum. II. Gentes quoque universas eodem modo per eundem Salvatorem gratiam recepisse. III. Tam Israelitas quàm Gentiles per sacri baptismatis ianuam ad Fidem catholicam ingredientes, non duos populos aut duas gentes diversas manere, sed ex utriusque venientibus unum populum novum creari. IV. Tam hinc quàm illinc ad Fidem catholicam venientes, quamcumque eminentiam, nobilitatem, aliamve dotem quam primò habebant, in quantum Ecclesiasticæ hierarchiæ institutis non obviat, recuperare, habilitatemque de novo obtinendi acquirere. Primum theorema octo capita, secundum tria, tertium sex, quartum triginta quatuor habet capita.

406. Tertia demum pars operis capitibus quatuordecim continetur. Incipit prologus ad Regem: *Scripseram quidem vestræ regiæ maiestati, potentissime princeps, sub vestro* [h] *Hispano idiomate, quæ mihi tunc occurrebant ad exhortationem reductionemque illorum, si aliqui sunt, quos inadvertentia* &c. *quæ unitatem Ecclesiæ catholicæ* &c. *offendere possent*. Unde liquet aliud aliquid operæ in eadem adornanda Sparta ante hoc tempus eundem navâsse. Absolvitur totum opus his verbis: *Valeat prosperè, quinimmo feliciter, (ut unico verbo bona fortunæ & virtutis includam) regia serenitas vestra, & hoc parvulum munusculum in humilitate cordis, cum ardore caritatis oblatum, regali gratiositate acceptare, & ubi opus fuerit, corrigere atque emendare, dignetur. Anno quinquagesimo post quadringentos & mille ab incarnatione Verbi æterni conscriptum, sacri Romani tempore Iubilæi pio & optato currente. Laus Deo.*

[h] Forsan *nostro*.

407. Huius commentarii hoc specimen nobis benignè huc inserendum subministravit æternùm colendus amicus noster D. Ioannes Lucas Cortesius ex MS. codice, quem apud se habet, quemque nos ipsi vidimus. Attamen commune hoc inter doctissimos viros trium ferè sæculorum de hac re iudicium non potuit hactenus quampluribus stabilitum Ecclesiarum & gymnasiorum sanctionibus, Pontificia etiam auctoritate nitentibus, contrarium iudicium persuasionemque, non infrequentibus confirmatam apostatarum exemplis, labefactare. Occasionem verò huic dedisse Alphonsi scripto, quod quidem anno huius sæculi sui quinquagesimo confecisse dicitur, primum de hac interdictione ab certis honoribus sive sedendi & suffragium ferendi locis novis Christianis facta statutum Toletanum quoddam superiore anno XLIX. factum admonuit nos cuiusdam curiosi hominis oræ libri de quo loquimur affixa nota (2). *Me-*

(1) In Escurialensi *Lit a. Plut. IV. n.* 14. (I. 138.): *Allegationes in Concilio Basileensi pro Rege Castellæ & Legionis contra Lusitanos super iure conquirendi Canarienses Insulas, anno MCCCCXXXV.*

(2) Ἐιρωνικῶς; quasi vero Statutum Toletanum, quod anno demum MDXLVII. à Ioanne Silliceo eius Sedis Antistite promulgatum fuit, ut docet Didacus Velasquius, seu qui sub hoc nomine latet, *Iacobus Bretòn* à patria dictus *De Simancas* Episcopus Pacensis, *Defens. Stat. Tolet. cap. I.* Antuerpiæ 1575. Alfonsi Burgensis de hoc argumento scriptum, id est *Defensorium unitatis Christianæ* præcessisset.

408. *Memorial de virtudes* : quod à superiùs iam laudato *Defensorio Fidei* distinguimus ; quamvis confundere videantur alii, eo quòd vernacula inscriptio quam omnes laudant, id suadeat, seorsumque ab illo habeant memorati Almela domesticus testis ac Venerus (1).

409. At nescimus planè quò respexerit Ludovicus Ariz Benedictinus *Historiæ Abulensis* tertia parte fol. 12. quum *Lucam Tudensem in additionibus Alphonsi de Carthagena* (quod interpretor *Additiones Burgensis nostri ad Tudensem Episcopum*) laudat ; nisi *Anacephalæosin* significare voluerit.

410. Iussu quoque is Ioannis Regis è Latino in vernaculum vertit Senecæ aliquot libros (duodecim Almela expressit) locisque opportunis glossas adiunxit (2). Interpretatus quoque est finem operis *De casibus virorum illustrium* Ioannis Boccaccii à Petro Lupi de Ayala maiorem in partem è Latino in Hispanum translati, uti de Petro loquentes annotavimus. Necnon & cum Leonardo Aretino de Aristotelis Ethicorum interpretatione ab eo confecta, cùm in Italia esset disputâsse dicitur, scriptoque disputationem consignâsse: quod Pulgarius & Almela referunt, quorum posterior *Declinationes* opus vocat. Planè is fuit Leonardus, *de cuius facultate interpretandi præclarum erat Andronici Thessalonicensis iudicium. Verum quippe eum & fidelissimum Græcorum librorum interpretem appellare solebat, ceteros autem magis paraphrastas ; in quo tamen maiorem Romani sermonis castimoniam Erasmus requirebat.* Quod totidem verbis ait Petrus Daniel Huetius, vir eruditissimus, *De interpretatione* libro secundo.

411. Decessit noster Alphonsus sexaginta annos natus Villasandîni Burgensis sacri territorii oppido, cùm visitato Iacobi Apostoli sepulcro è Compostella rediret, XII. Iulii MCDLVI. Directas ad eum habemus Ferdinandi Gomez de Civitate regali, Ioannis II. Regis medici, diserti facetique hominis, tres epistolas 24. 30. & 31. lectu non indignas. Multis nostrum laudibus efferunt Hispanarum rerum Scriptores, Garibaius lib. 16. cap. 23. & lib. 17. cap. 4. Ægidius Gonzalez in *Theatro Burgensis Ecclesiæ* ; & quis non ?

(1) In Escurialensi, *Lit. Q. Plut. II. n* 9. (T. III. p. 19.) *Memoriale virtutum. Libris duobus. Ad Eduardum Ioannis Lusitaniæ Regis filium Primogenitum. Latino sermone* quo primum conscriptum fuisse videtur. Exstat enim in eadem Bibliotheca, *Lit. h. Plut. III. num.* 11. (T. II. p. 116.) verso eiusdem Hispanica *Anonymo interprete* ad Elisabetham Eduardi ex fratre neptem, Elisabethæ Catholicæ Hispaniarum Reginæ matrem, in cuius prologo : *Conmigo pensando determiné* (Interpres ait) *trasladar en nuestra comun lengua Castellana un mui gracioso è noble tratado que de virtudes fallé : el qual de los dichos de los Morales Philosophos compuso el de loable memoria Obispo de Burgos al muy ilustre, é muy inclito Señor Don Duarte Rey de Portugal seyendo primero Principe : al qual, Memorial de virtudes intituló &c.*

(2) In codice Escurialensi *Lit. L. Plut. II. n.* 15. (T. III. p. 264.) habentur I. *De vita beata. Ad Gallionem Fratrem.*. II. *De Providentia Dei ad Lucilium.*. III. *De tranquillitate vitæ ad Serenum.*. IV. *De clementia ad Neronem.*. V. *De septem artibus liberalibus.*. VI. *Declamationes* (Marci Patris).. VII. *Proverbia* (Publii Syri & Laberii Mimi).. VIII. *De quatuor virtutibus* (Martini Dumiensis seu Bracarensis.) Item *Lit. t. Plut. III. n.* 4. (II. 524.) : *De vita beata* : *De Providentia* : *De Clementia* : *De Fortuitis*, seu *de remediis fortuitorum*: *Proverbia*: LIBER DE BELLO, hoc titulo : *Aqui comienza el Tratado de la guerra* ; continet autem folia formæ quartæ duodecim : *Declamationes* : *Dicta Senecæ memorabilia.* Item, *iisdem Lit. & Plut. n.* 5. præter supra relata : *Libro de Seneca en el qual trata como en el Sabidor non cae ofensa nin injuria alguna.* Et codice seq. seu 6. *De la amistança, ó del amigo.* Et num. 7. *Dichos de Seneca en el hecho de la Cavalleria.* Item, *Lit. h. Plut. II. sub n.* 22. (T. II. p. 92.) *Respuesta á Don Inigo Lopez Marques de Santillana que le habia consultado acerca del juramento ó sacramento militar que hacian los Soldados Romanos.* Item *Lit. t. Plut. II. n.* 12. (T. II. p. 516.) *Libro de Marcho Tullio Ciceron que se llama de la Retórica trasladado de Latin en Romance por el muy Rev. Don Alfonso de Cartagena Obispo de Burgos á instancia del muy esclarecido Principe Don Duarte Rey de Portugal.* Videtur autem prior tantum liber *De Inventione*, seu *Veteris*, ut vulgo dicitur, *Rhetorices.* Omnia Hispanicè; è quibus nonnulla oculatissimi Nostri diligentiam fugisse videntur.. In *Quæstionibus* quoque *Ortholanis*, sive *Hortolanis* Roderici Sanctii de Arevalo Episcopi Palentini Romanæ Sancti Angeli arcis Præfecti de quibus infra, *cap. XI. huius Libri n.* 610. agitur, partem aliquam *Alphonsum Burgensem* habuisse docet ipse operis titulus in *Roderico Sanctii de Arevalo* inferius à nobis adducendus.